



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 9. Quænam est Forma Eucharistiæ?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

independens ab altera forma consecratoria alterius speciei: ac proinde exigit, ut Christus sit statim sub tali specie consecrata independenter ab altera; aliàs forma esset falsa.

Q. 9. *Quanam est Forma Eucharistia?*

Resp. I. Quisque graviter tenetur proferre totam formam quæ in Canone legitur, ob usum & præceptum Ecclesiæ in re tam gravi. Forma pro consecratione panis, hæc est: *Hoc est enim Corpus meum*: pro vini, ista: *Hic est enim Calix Sanguinis mei, Novi & æterni Testamenti, Mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Verba autem essentialia formæ debent proferri assertivè, seu cum intentione affirmandi id, quod significant: nam ex patribus & Florent. Sacerdos ea profert ex persona Christi, seu ut gerens personam Christi; & debet per illa intendere consecrare ac efficere quod significant.

Resp. II. Ad validam consecrationem certum est requiri hæc verba: *Hoc est Corpus meum: Hic est Calix Sanguinis mei*: aut illis æquivalentia, quæ significant clarè ac distinctè conversionem panis in Corpus Christi, & vini in Sanguinem: verba enim non efficiunt nisi, id quod significant. Horum autem sensus est: hoc contentum sub his speciebus, est Corpus meum, est Sanguis meus.

Hinc invalida est consecratio 1. Si pro ly
hec,

hoc, diceretur *illud*, quia *ly illud* non demonstrat rem præsentem. 2. Si dicatur *ibi* vel *hic* adverbialiter, quia voces illæ significant tantum Corpus esse in pane, vel Sanguinem in vino, non autem veram conversionem panis in Corpus, aut vini in Sanguinem. 3. Si pro *ly Corpus* dicatur *caro*, quia Corpus plus significat quam *caro*, Corpus enim est totum integrale constans non solum ex carne, sed etiam ex ossibus, nervis, &c. 4. Si dicatur *Hoc Corpus est meum*; nam transpositio illa mutat sensum. 5. Si dicatur, *Hoc est Corpus Christi*.

Resp. III. Hæc verba: *Hoc est Corpus meum: Hic est Calix Sanguinis mei*, aut illis æquivalentia ad validam consecrationem secundum multos sufficiunt; & probant. 1. Ex Patribus, qui nulla alia verba pro forma assignant. 2. Quia ista verba perfecte significant præsentiam Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus panis & vini: verba autem formæ, utpotè practica, efficiunt id quod perfecte significant.

CAPUT II.

De Præcepto Eucharistie, ejus effectu, & dispositione.

Q. I. **A**N extat præceptum sumendi Eucharistiam?

Resp. I. Extat præceptum divinum aliquando